

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0474

0472

0478

0468

0483

0463

0523

0423

0573

0373

0973

460

Ex iam dictis patet descriptio sacri montis, commendatio tamen eximia et sanctitas ejus ex canonicis scripturis clarius habetur in multis locis, sicut Exodi III. et XIX. et XX. et Deuter. V., ubi dicitur, quod mons ille ardebat usque ad coelum, et per totum pentateuchum et in psalmis et prophetis. Ex quibus omnibus infertur, quod mons Oreb Synai est mons excellentiae et altitudinis; mons divinae habitationis et angelorum frequentationis; mons luminis, ignis et inflammationis; mons terribilis nubis et caliginis; mons sapientiae et eruditionis; mons misericordiae et promissionis, justitiae et comminationis; mons fulguris et coruscationis; mons tubae et clangoris; mons amicitiae et confoederationis; mons clementiae et propitiationis; mons sacrificii et orationis; mons pinguedinis et coagulationis; mons visionis et contemplationis.

Postquam ergo hujus montis sancti loca perspeximus, consedimus et collationem fecimus manducantes et bibentes, quod nobiscum portavimus, et ultra horam in monte sancto mansimus. In tribus enim horis a monasterio in cacumen venimus. Cunctis autem terminatis, quae in monte sancto agenda erant, disposuimus nos ad ultiores labores et processimus modo, quo sequitur.

Progressio ulterior.

(b) Descensus peregrinorum de monte Oreb et aliquorum peregrinorum ascensus in montem S. Catharinae.

Expleta collatione paululumque recreati descendimus de monte contra occidentem per praeceptis viam periculosam, terribilem et saltuosam valde, ita, quod nonnumquam necesse fuit, ut submitteremus nos deorsum per saltus, in ventrem nos ponendo super praecipites rupes. Saepe etiam in hoc descensu venimus in capitibus rupium in arctas vias dependentes, in quibus casus fuisset crudelis mors, nam deorsum per altissimas rupium parietes quis, mox ut pedem non recte posuisset, cecidisset in valles horribiles; tandemque venimus in quoddam monasterium, dictum ad quadraginta sanctos, et ibi ingressi ecclesiam adoravimus et indulgentias recepimus (†). Interea

Ende

Anfang